abirent , *de Tabernaculis cogitat* : infit Abulenſ. *quæſt.* 64. & hic Alapid. Inſignia merita fulgebant , Petruſque tabernacula cogitat , ne illic abeant : equidem recedere ſolent merita, ſi non ſunt munera. *Unum tibi unum Moyſi & unum Eliæ.* Unde Petrus, quos nec viderat , cognovit ? Sedul. 3. *Carm.* v. 286. ſuccinit:

Sint ibre ni meri tis prepa rati.

Sedul.

Ignotos oculis viderunt lumine cordis.

Facta ignotorum cognitio in oſtenſionem excellentiæ maieſtatis : igitur illuſtriores, quòd facie ignota , à neſcientibus cognoſcerentur per merita. In maieſtate ergo viſi ſunt ; Petruſque ſtatim: *Faciamus hic.* Hìc, & ſtatim ? utique. Thronos non habebant, ſed meritis fulgurabant : thronoſque Petrus diſponit , dum ita vidit ; quippe ſi ſplendor meritis ; non decor , ibi illos eſſe ſine eximio ſplendore dignitatis : igitur qui viſi ſplendere & coram Principe , meritorum maieſtate ; pigebat videre ſine maieſtate throni. Gloria labori cedat : iuſtitiaque præmia ſine affectione diſtribuat ; eò quòd magis ſtoreat Reſpublica , modò in æmulationem civium honorentur merita: equidem ubi honorum ſplendor;

Matth. 17. 9.

Non eſt labor, ubi latet honor.

Dulcis erit mercede labor.

Ovid. 6. *Faſt.* v. 645.

DIDASCALIA V.

Interdùm defectus audietium ex defectu prædicantium.

1 HInc Dominus per Ieremiam querulus ait : *Ego plantavi te vineam electam, omne ſemen verum: quomodò ergo converſa es mihi in pravum vinea aliena* ? Adulteratum eſt ſemen ſeminantium corruptione : deſciſcitque ab ingenita ſpecie ; quoniam ex ſurculis radicis amabilis generoſitas , tota erumpit in labruſcas. Corruptionis cauſa indicatur à plorante Ieremia : *Prophetæ tui* (inquit) *viderunt tibi falſa & ſtulta: nec aperiebant iniquitatem tuam , ut te ad pœnitentiam provocarent.* Præcones & ſatores ſeminis verbi Dei , Vates olim conſtituti ſunt ; ut floreret vinea virtutibus generoſitate ſeminis , & vites carerent vitijs : in pravitatemque vinea invenitur degeneraſſe , etiam electo atque legitimo ſemine; quippe pravorum lactabant frondoſitate malitiam, quos debebant provocare ex ſemine in pœnitentiam. *Vitis frondoſa Iſrael.* Seminis quidem natura profectò in fructus & folia : corruptumque patet ſemem , propriam amittens virtutem; ubi vitis prava nihil enutrit in fructum , quia tota in pompam foliorum. *Non eſt uva in vitibus.* Nihil mirum : tota vitium ſubſtantia in ornatum. Virtus ſeminis evaneſcit, ſi folijs dumtaxàt viget : etenim ſine fructu apparent vites , ubi fructus illarum frondes & frondes. Vernaculè : *Hojaraſca.* Iurè utique ſiccatur à Salvatore ficulnea, quæ tantùm habebat folia.

Ierem. 2. 21.

Thren. 2. 14.

Inutilis prædicatio, ſi ob. ſequitur auditorio.

Oſee. 10. 1.

Ierem. 8. 13.

2 En theatrum prædicantium depravato ſemine, quoniam propter oſtentationem eloquentiæ remanet ſine virtute:& ubi non eſt in prædicatione virtus , nullus eſt fructus igitur inanite foliorum , audientes impellunt in vanam gloriam ; quos congruit provocare in criminum pœnitentiam. Taxat Stoicus. *Nimis anxium eſſe circa verba & compoſitionem , nolo. Habeo maiora , quæ cures. Quæ re* (inquit *Epiſt.* 115.) *quære quid ſcribas , non quemadmodùm:& hoc ipſum, non ut ſcribas ſed ut ſentias : ut illa quæ ſenſeris magis applices tibi,& veluti ſignes. Cuiuſcumque orationem videris ſolicitam & politam , ſcito animum quoque non minus eſſe puſillis occupatum.* Quid in motionem cordium voces fellicatæ , non ut matronæ, ſed ut meretrices cultæ ; ex queis expectatur decus , & totum fucus ? Thraſones ſunt in iuggeſtis , aures ſuſpendentes oraculis , phalerata facundià, ac in cothurno arrogantià , quàm ſatuus aſpicit , quaſi è cœlo cecidiſſet : igitur ita ingenij oſtentant acumen ; ut cogitantes pelliceant in ſui deliram admirationem, Dicunt mira de cicere , quid de lente? Quàm pulchra oractio picta, colorum pompa , ſophiſtica argumenta , quorum corpus crepitu vocum , invitè remanet extra ludicrum theatrum ; cum luxurient vel in fletum vel in cachinnum dictiones , & floribus vernent mutationes theatrales; quibus ut vidimus ex Bernardo *Tautolog.* 7. *D.* 2. *n.* 1. concionator ex habitu fit notabilis, ex actione reprehenſibilis, ex ſermone contemptibilis : etenim quiſquiliarum inani congerie , apparet ſine ſenſu ſine probitate , perfrictà fronte. *Siccine* (infit Florent. Schoonhov. *Emblem.* 73.) *in iſtis ſciolis noſtris , qui magnificis titulis , qui ſapientibus pileis , qui ſplendidis cingulis , qui gemmantibus annullis , bis terque magiſtri, abſolutam profitentur ſcientiam , & diffinitionibus , concluſionibus & propoſitionibus, perſtrepunt , ſed inſaniunt ; quia inſcitia confidentiam , & ſtolditas ſubminiſtrat audaciam , & ut titillent aures , pruriunt pedes.*

Seneca.

Deridiculi oratores.

Florent.

Haud

3 Haud inficiandum , arborem orationis debere ornari ad fructus folijs & floribus ; ut concionator (iuxta Auguſtini mentem, 4. de *Doctrin. Chriſtian.* cap. 17.) *doceat , delectet , flectat , oret & agat.* Verum ſi tota gratia , vana verba , futilis cogitaminis flores & folia ; quænam in fructus doctrina ? Ut fructus floreant ; neceſſarium omninò , quod flores decidant. *Verbis contendere eſt* (infit idem ibid. cap. 28.) *non curare quo modo error veritate vincatur , ſed quo modo dictio dictioni præferatur alterius. Qui non verbis contendit ſive temperatè , ſive granditer dicat ; id agit verbis , ut veritas pateat , veritas placeat , veritas moveat.* Decidant ergo concionatores à cogitationibus ſuis , quia vanæ cogitationes : etenim folia & folia viridantia ſine veritatis fructu ; penſiles , logiſophæ , pravę cogitationes ſine intellectu. *Spiritus* enim *Sanctus* in motum atque converſionem cordium , *diſciplinæ effugiet fictum* : quærit quidem per verba ſolidam veritatem , minimè verborum ſpeciem & veritatis fictionem ; qua alliciuntur otioſitate curioſi , & blaterant glorioſè dicaces locutuleij. *Cùm aliquando de re ſeriò Diogenes Cynicus diſſerens , nullum haberet auſcultatorem attentum* (ait Eraſm. in eo , p. 1. *Apophth.* n. 14.) *cœpit ineptam cantionem velut ſaltaturis. Ubi iam plurimi concurriſſent ; obiurgavit illos , quòd ad ſtulta & inepta frequentes & alacres accurrerent: ad ſeria verò , & ad benè vivendum utilia , nec alacriter convenirent, nec diligenter auſcultarent.* Hac enim de cauſa plurium corona , dum prædicantur & frigida & frivola ; cùm inſtar aſpidum obturent aures, ne audiant in poſitionem veneni veritatis latæ voces. Audiatur Plutarchus , libell. de *Audiendo* , ubi : *Non debent concionatores prorſus negligere ſuavem & ornatam dictionem : minimè eſt tamen de ea laborandum , maximè adoleſcenti. Decet itaque ubertatem & fucum abluere orationis , & fructum ipſum ſectari , atque æmulari apes: hæ enim folia florida & fragrantia ſectantur. Haud aliter ſolertem & ſyncerum auditorem oportet , pictam & luxuriantem dictionem , atque res theatrales & ad pompam paratam fucorum eam herbam ſophiſtarum ducere , ac miſſas facere : ipſum autem attentione ſenſum orationis concionatoriſque animum ſubire , ac decerpere ex ea, quod fructuoſum eſt & conducibile ; memorem, non in theatrum ſe, neque in Odæum, ſed in ſcholam veniſſe , doctrina vitam correcturum.* Utor teſtimonijs Ethnicis , ut pudeant ſiccine infatuati audientes , ac vani concionatores.

Auguſt.

Quale illorum debet eſſe propoſitum?

Sap. 1. 5

Eraſm.

Vaniloqui & ſcurræ nec audiendi.

Plutarch.

4 De huiuſmodi nugis , & ſoliditate Evangelicæ nutritivæ veritatis , poſſum dicere , quod de volumine. Q. Sexti protulit Cordubenſis Stoicus , *Epiſt.* 64. *Quantum in illo* (infit) *vigoris eſt , quantum animi, Dij boni ! Hoc non in omnibus philoſophis invenies ; quorum ſcripta clarum habent tantùm nomen : cætera exanguia ſunt. Inſtituunt , diſputant , cavillantur ; ſed non faciunt , quia non habent. Cùm legeris Sextum , dices : Vivit , viget , liber eſt , ſupra hominem eſt. Oſtendit beatæ vitæ magnitudinem , & deſperationem eius non facit. Scies illam eſſe in excelſo ; ſed volenti penetrabilem. Hoc quidem virtus ipſa præſtabit ; ut illam admireris , & tamen ſperes.* Quorsùm ergo aliò intenditur animus , ſi in doctrinæ radice fructus inveniuntur & virtus ? Cur Salvatoris ſchola in ſcenam convertenda ? Quorsùm verborum ephippia ? Ubi fructus , quorsùm folia ? Nihil audientes capiunt , quoniam concionatores *telas araneæ texuerunt.* Laborant totis viſceribus , ſed impenſi laboris nullum eſt pondus evadunt qui ſubtiliter capti , quippequàm rumpitur rete. Succinit præfat. Florent. *Emblem.* 64.

Ingenti ſtudio componit aranea telam,
Et tamen à cunctis teritur illud opus.
Sic magnas magno promit molimine nugas
Dum vigilat ſtudijs vanè Sophiſta ſuis.

Senec.

Virtus prædicationis ſine fuco ſit.

Iſai. 59. 5.

Florent.

5 Cavet Petrus in concionatoribus huiuſmodi morbum , & prævenit ſolerter alexipharmacum. *Vos autem* (infit) *curam omnem ſubinferentes , miniſtrate in fide veſtra virtutem , in virtute autem ſcientiam , in ſcientia autem abſtinentiam. Hæc enim ſi vobiſcum adſint & ſuperent ; non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent.* Forma prædicatoribus exhibetur , ut doceant, delectent , flectant , orent & agant ; ut veritas Evangelica pateat, placeat & moveat. In orationibus intenditur verbis utilitas fructuum, haud vacuitates verborum: ſcientiaque cum virtute exponitur , quùm verbum Dei prædicatur ; quoniam dumtaxàt virtus debet eſſe prædicationis conatus: equidem ſine fructibus æmulandæ virtutis, dumtaxàt audiuntur cerebri terebrati vacuitates. Debet concionator docere, delectare , & corda in virtutem flectere ; ut poſſint audientes errores cordium cognoſcere , quo veritas patet , placet , & denique movet: tuncque ſcientia in virtute collocatur , dum in illam cor movetur ; quoniam audiunt dumtaxàt verborum futilitatem,

2. Petr. 1. à 5.

Plauſibi eius dotes.

tem, ni prædicatorum verbis commoveantur in virtutem. *In virtute ſcientia.* Elucet ſana doctrina, ut non deſipiant in ſapientiæ verbis, qui loquuntur ſcientiâ ſine conatu virtutis: dum verbis verba ſolummodò docent, ſtulti facundiâ magis apparent: equidem ampliorem in deriſum oſtentant bambaliones ſtultitiam; ubi buccinatores verbis verborum promunt ſapientiam. Unde cùm in tanta mole minimè virtutis præ ſe ferant veritatem; non habent faſtu verborum nec ſcientiam nec virtutem.

6 Ad audientium convertenda corda, *Dominus dabit verbum evangelizantibus* (Pſ. 67. 12.) *virtute multà.* Multa virtus. Huc quidem prædicationis ſcopus: igitur accipiunt evangelizantes virtutis copiam, modò in ſcientia verbi amplectantur abſtinentiam, *Abſtinentiam?* Utique, ut expellatur fames, & nequaquàm ſit ingluvies. Quorsùm in verbum Dei verba ſuperflua, ornamenta ficta aut picta, atque tumida eloquentia? Opus eſt profectò verbis in cognitionem (*Intendenda veritas, non vocũ vanitas.*) exulis veritatis, non verborum ornamentis; quippequàm ſpecioſior veritas nuda, ut alliciat per ſe corda: & ubi ſummam evangelizantibus Petrus exponit doctrinam, in ſcientia commendat neceſſariam abſtinentiam quoniam audientibus prædicatio minimi ponderis, ni verborum & verborum ſecentur ſuperfluitates: etenim ſine fructu frondes & frondes. Plura novaque cogitantur, ut ait Horatius de *Arte*, à v. *69.*

Ne dum ſermonum ſtet bonos & gratia vivax,
Multa renaſcentur quæ iam cecidere: cadentque
(Horat.) *Quæ nunc ſunt in bonore, vocabula; ſi volet uſus:*
Quem penes arbitrium eſt & ius & norma loquendi,
Ut ſilvæ folijs. &c.

Hæc profectò reſecanda, ut verbum prædicatoribus detur virtute multà; quippe virtuti prodeſt huiuſmodi ineptiarum abſtinentia. Plus aggeritur verbo ſapientiæ in hominum documentum, quàm ſapientia verborum in crepitaculum.

7 Huiuſmodi ſcabies ferè iuvenum, cœlo altius ſupercilium extollentium, atque gloriolam tintinnabulis captantium: quibus videtur nil dicere, ni ineptiam ſingulari novitate: & modò potiantur fatuorum plauſu, minimè curant de ſenſatorum riſu; exhibità orationis arridentis ludicra (*Levitas ſciolorũ*) forma, ubi in ſtuporem ſubminiſtrant cataplaſma. Extra legem cunctis vocibus verboſitas, dummodò indulgeat permiſſa libertas. Nil acre, nihil ſolidum, cultus nimis exquiſitus, ſed aridus, molliorque umbris ſplendet, quàm ut ſanctis præceptis præparans ſe animus pati poſsit; quo oratio ſpecioſa, magis laſciva, quàm læta. Haud cogitat huiuſmodi prurigo quicquid dici debet, ſed quicquid valet, & in buccam venerit. Appoſite quod de Oſco rhetore dixit & riſit Marc. Seneca, *præfat. in* 5. *Controverſiar.* n. 14. *Multum habuit ingenij, nihil cordis. Non incommodè dixit, ſed ſibi nocuit; dum nihil ſine ſcemate dicere cupit; oratio eius non erat figurata, ſed prava. Ingenijs multæ donanda vitia, non portenta. Quis enim ferret hominem, de ſiphonibus dicentem*; Cœlo repluunt? *De ſparſionibus*, Odoratos imbres? *in cultum viridium*, Cælatas ſilvas; *& in pictura*, Nemora ſurgentia? Hoc itaque non eſt dicere, ſed delirare. Dementia cunctis oſtenditur & ſumma ſubtilitate nihil agitur. Non eſt elegantia, ſed cerebri philauti deſipientia. Proponitur qua arte componendus ſit animus; & deſcribitur in fidem, Solis occaſus, & ortus.

Aut flumen Rhenum, aut pluvius deſcribitur arcus: (Horat. d. v. 18.)
Sed nunc non erat his locus.

His ergo frivolis ſpectaculis haudquaquàm adſunt Catones:

8 Sequenda Plutarchi, ubi dudùm monita, ne gliſcant huiuſcemodi rhetoricæ vitia. *Hi morbi* (ſubdit) *multam ſolitudinem cordis, & mentis bonæ, multaſque argutias, & garrulitatem in ſcholis peperere iuventutis: quæ non vitam, non actionem* (Plutarch.) *denique inſtitutum obſervat Philoſophi; ſed dictiones, ſed verba, ſed elegantem pronunciationem laudibus fert: quod verò eſt pronunciatum, utile an inutile, neceſſarium ne* (*Delirant vocum novarũ pruritu.*) *an futile, & otioſum ſit; neſcit, nec dignatur excutere.* Modò dicant, poſthabetur quòd congruant, vel non congruant. Eiuſmodi logomachiam ut puerilem Paulus exoſus tamquàm deteſtabilem. Curandum itaque quod Domini doctrina non blaſphemetur; quod fidem fit ſi per illam eius gratia ſuſcitatur. *Siquis aliter docet* (1. Tim. 6. 4.) (inquit) *& non acquieſcit ſanis ſermonibus, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum; ex quibus oriuntur invidię, contentiones*, &c. Hi fructus curioſæ verboſitatis, in ſignum ſanæ doctrinæ languoris: equidem nequaquàm in ſermonibus doctrina ſana; ubi pugnæ & quæſtiones de verbis ſine doctrina. Con-

ten-

tenditur verberato aëre, de vocum præſtantiorum inventione; quibus in controverſijs, haud doctiores inveniuntur ſcioli, ſed moleſtiores. igitur dum unus hircum mulget, alius cribrum obſequioſè ſupponit: & dum expectatur ex doctrina converſio cordium, tota moles quæſtionis tendit in iurgium: (*Argutuli ſine mente.*) quæſtiones & quæſtiones, voces & voces, ſine ſubſtantia doctrinæ, pugnæ & pugnæ, quiſquiliæ & quiſquiliæ, peſſundatâ veritate; quia non intenditur veritas, ſed diſputationis vanitas, ubi concipitur ab audientibus virtutis vigor, & virtutis ex verbis apparet languor: ſuperbique dicuntur, quorum ſtudium erga quæſtiones verborum; quippe meditanter inſtruunt huiuſmodi logimachiam, ut ſine doctrina oſtentent ſtultiſsimam inſcitiam.

9 *Superbus & languens*: ideſt, ægrotans & corde & mente. Qui ad doctrinam utitur verborum ſtudio, eget elleboro. Doctrina non ſtat in verbis, ſed in ratione virtutis: aptèque erga quæſtiones atque pugnas verborum languens ſuperborum exponitur cerebrum; quoniam magis ac magis ſuperbiunt, dum ſine mente in quæſtionibus deſipiunt. Cùm illis inflatis nullum ſit cor, ambulant in magnis & mirabilibus (*Stulteſcunt dicaculi.*) ſuper ſe. Vana locuti ſũt unuſquiſque ad proximum ſuum. Erga deſipientiam ſtomachicè magnificant linguam. Sed unde ſtrepitu iurgium? *Circa quæſtiones*, atque *pugnas verborum.* Grande prorsùs æmulabile theatrum! Præclara ratiocinia, lepida capita, ingenioſa cerebella! Ex huiuſmodi ſorditate turgida & iactabunda arrogantia? & corde & mente laborant: ſeriò graviter, ſuperciliosè delirant: quandoquidem dum ſatagunt videri doctiores, in ipſis diſputationibus dignoſcuntur quàm amentes. Hinc Paulus dicit: *Nihil ſciens.* Perpropriè: ſcit in quæſtione vocum tintinnabuli certamen, cæterùm neſcit quæſtionem. Patet ex iactantia ſtoliditatis nota, qua mirificè opicâ floret Minervâ: igitur nihil ſcit, quæſtionem neſcit, argumenta non cognoſcit. verùm de pugna verborum uſque ad faſtidium ſuperbit. De his alibi (2. Tim. 3. 7.) Paulus: *Semper diſcentes, & numquàm ad* (*Ingenia acumine obtuſa.*) *ſcientiam veritatis pervenientes.* Student captantes in quæſtionibus voces; ſed numquàm in ſcientiam perveniunt expoſitæ veritatis; igitur non inquirunt in quæſtione veritatem, ſed in voces & pugnas deridiculam quæſtionem, quaſi in faſtidioſa verborum altercatione, Palladis eſſent congregatæ divitiæ. Floridè Florentius, d. *Emblem.* 27. ſuccinit:

Rixantur pueri, ſiquis lapidèſve, nucèſve (Florent.)
Auferat, & ſemper vilia quæque ſtupent.

10 Mala profectò ſors, quæ incumbit in iurgia: at peior & tetrior ſciolorum buccæſſantium cauſa. Illi ſemper diſcunt, ſed in ſcientiam veritatis non perveniunt. In his cerebro evacuato conſtruit audax arrogantia cum adiatrephia, quod numquàm valuit ſchola: etenim in veritatem ſcientiæ perveniſſe emboliſmicè arbitrantur; eſſò numquam didicerunt: inferentes pugnas & quæſtiunculas verborum, ſed de ſcientia veritatis neque verbum. Totum efformatur in proprio cerebro, unde cogitatio ſine ullo iudicio, captantibus ſcientiæ ſomnia; quia horum ſcientia in phantaſia: equidem encyclopediæ arbitrantur penetrale adytum, qui necdùm Palladis pervenerunt in veſtibulum: & errore devio introierunt in oracula Moriæ, quia non valuerunt in ſacraria Minervæ. Illis videtur eſſe, quod illis eſſe videtur. Verùm, quod (*Quorum ſcientia phantaſtica.*) fingitur: auſpicanturque ut aquilæ cedri medullam tollere; quippe philauti ad arbitrium poſsident clavem ſcientiæ: ac per leve phantaſiæ ludentis & illudentis cogitamen; pulſatâ fronte ac perfrictâ, converſos delirant in Salomonem: & ſunt aquilæ ſurgentes, qui ierunt cubitum otides. Illis propriâ opinione cara, quæ pretio vilia: gazamque pingunt ſapientiæ, ſi grandia dicant de culice. Quænam in commendationem nitidæ falſitatis, non aggerantur ex ſtudio affectationes? Quid non miraculum ex caligine vocum? Quid non in grallis ex flatu vertigine, & pruritu iactantiæ?

Hunc ſocci cepere pedem; grandeſque cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & populares (Horat. d. v. 80.)
Vincentem ſtrepitus & natum rebus agẽdis.
O iuvenum curas! Cùm pauper & exul uterque
Proijcit ampullas & ſeſquipedalia verba.

Sententiæ macræ, acumina ſine cuſpide, argumenta ſine ſale, argutiæ ſine dulcedine, atque technæ ſalebroſæ; ita ut moto ſtomacho, quia tot cibi ſine ſucco, de ingreſſu pertæſi, tantùm cogitent exire. Inſipientes huiuſmodi ſcientiæ vanitatibus ſunt: qui quidem non eſſent; ſi ſe vanos, & litterarum futilium vanitatem agnoſcerent. Student ſine mente; & nullus eſt qui recogitet corde. Vana opera illorum & riſu digna. Non illis cor. Ambulaverunt poſt vanitatem & vani facti ſunt.

11 Aſtruit etiam Doctor Gentium:

Rom. 1. 22. *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Stulteſcunt, quia inſipientes: & plus ſtulteſcunt, quia non cognoſcunt. Ulterius, quippe ſe ſapientes dicunt: quod quidem non dicerent, ſi aliquomodò ſaperent: glorianturque iactabundi & ſtulti, ſcientiarum plenitudine; cùm non viderint umquàm faciem ſcientiæ. Obſcuratum enim falſo lumine illorum turgidum cor. Unde ſi inſcij, obſcurata non exponitur mens? In balbalicum præſumptionis embolium, diligunt vanitatem, quærentes ſplendoris mendacium. A corde voluntaria oritur infatuatio: à mente infatuationis cognitio: & dum ſcientia iactatur, non mens ſed cor infatuatum dicitur; quippe cognoſcunt eſſe ludibrium uſque inſipientes, & cupiunt dici undecumquè doctores. Cor eorum obſcuratum vanum eſt: appetunt primas cathedras & vocari ab hominibus Rabbi. Magiſtros dici, qui ludimagiſtri. Vultu barbàque ſapientes, qui neſciunt emungere nares: & diſputare coram pueris erga teſtimonia ſacra; qui numquàm vel ad lectionem aperuerunt Biblia: in cunctis nugipolyloquides, & cubiti linguis hinc & inde docti bombalobonbaces, gerris & gerris gnatones, ſponſas dicentes ſcientias, qui neſciunt litteras; claudicantes in grallis diſputationis, nec loqui ſcientes: igitur pro lacunis implendis, vel in erroribus oſtentantes ingenium; effutiunt in ſtuporem *Pulegium*, & *Capitolium*. In huiuſmodi gyrgatho, quis agelaſtus? Veriùs, quis non achriogelus? Cæterùm fatiſcimus, & in vanum laboramus: aſſerere tamen audemus (nec obliquo iudicio) in tanto ſcientiarum colorato theatro, in tam plauſibili pompoſa ſapientia; nec intelligere quidem à nobis dicta. Græcum eſt non legitur. Non à nobis dumtaxàt: ab alijs dicitur.

Inſipientia & vecordia.

12 In articulum deveniamus. Proponitur argumentum. Antequàm expreſſum, tenent: priuſquàm depromptum, reſpondent; igitur ſummà dexteritate non ſolum penetrant, ſed proferenda divinant. Nihil difficultatis in difficultatibus inveniunt, & reſpondentes inſaniunt; quippe nec ligant nec ſolvunt, neſcientes quid dicant, nec quid dicunt, modò ſtrepitu loquantur: tumeſcuntque dici ex tempore, quod dificile pro tempore vigili meditatione: arbitrantes floruiſſe ingenia, modò cogitationes mittant in paſcua. Hi non concionatores ſed buccinatores, tundentes aures, qui mira, etſi importuna, Scripturæ venditant arcana, ſcholarum atque cathedræ argumenta, & Theologiæ recondita penetralia. Quorſum hic hæccine: Non ſapiunt, ſed docti videri cupiunt. *Scholaſtica ſtudia à rhetoribus leviter tractata delectant: contrectata & propius admota, faſtidio ſunt*: inquit M. Senec. d. In huiuſmodi affectata ſciolorum ſcabie ſunt maniæ, quæ deliria ſine febri. Taxat idem in diverſis Oratoribus, tam hic, quàm in *libr. 3. Bona fide Scholaſticus erat: ſed nihil indecentius, quàm ubi Scholaſticus, quod non novit, imitatur. Econtra Aſinius Pollio timebat, ne Scholaſticus videretur. Dum alterum vitium devitabat, incidebat in alterum. Sunt qui vitia ſua excuſare malint, quàm fugere. Albutius enim non quomodò non eſſe Scholaſticus quærebat; ſed quomodò non videretur. Hoc illi accidit inconſtantia iudicij. Partem enim eloquentiæ arbitrabatur, eloquentiam abſcondere. Sententias ab eruditiſſimis viris factas, facilè pro tanta hominum deſidia pro ſuis dicunt: & ſacerrimam eloquentiam, quia præſtare non poſſunt, violare non deſinunt.* Sic enim iurè Martialis. 1. *Epigram.* 39.

M. Senec.

Quicquid illis videtur commendabile, generant frigide.

Martial.

Quem recitas, meus eſt, fidentine, libelius:
Sed malè cùm recitas, incipit eſſe tuus.

Hi ſtulti adinſtar Lunæ mutantur emendicantes lumen; quoniam non habent ex ſe ſplendorem.

13 Non enim olim dicti Scholaſtici, qui modò Scholaſtici dicti. Olim dicebantur, qui declamabāt in fictis cauſis & otioſis: Oratores verò qui in veris cauſis. Unde Gallus inter Scolaſticos peritus, ſiquis adveniſſet cum quæſtione de facto; ei dicere ſolebat: *Quid ad me? ad Ciceronem ito.* Adi Eraſm. *Apophthegm.* lib. 8. n. 23. Haud magni pretij huiuſmodi ſtudia facultatis, cùm *lib. 9. Epiſt.* 2. Plinius dicat: *Volumus ſcholaſticas, atque umbraticas litteras mittere.* De ſeneque nihil ſtudio ad litteras proficiente, *lib. 2. Epiſt. 3. Nihil aliud agit, nihil aliud audit, nihil loquitur. Annum ſexageſimum exceſſit; & adhuc ſcholaſticus tantùm eſt.* Io triumphe. Adi hìc Claud. Minoen. Apte huiuſmodi prædicatores Scholaſtici. De factis nihil dicent, de cauſis fictis, ſtrophis citiùs reſpondent: equidem cum hìc ſit materia & argumenta phantaſtica, quibus deliris cogitationibus intumeſcunt ingenia; procumbunt avidiſsimè Scholaſticè in fictionem, ut adinſtar chamæleontis ampliorem aucupentur vanitatem. De facto nihil. Tota eruditionis claritas in Platonicas ideas: non enim haberent Scholaſticorum apicem auctoritatis, ni tenderet cogitatio in futiles & fictas cogitationes. De facto nihil, quia nihil dicunt de facto. Proh Superi! Hæc audiuntur in ſermone? Lamentabiſe profectò, ubi ne evaneſcat ex quiſquilijs ſpecies fallax Scholaſticorum; qui circunſtant nihil audiant in ſalutem animarum.

Eraſm.

Plin.

Ludicrè, & ſtolidè.

Epheſ. 5. 6. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis.* Quid in cibum animæ, enodatio quæſtionis philoſophicæ, & fanaticorum enthuſiaſmi? Totum futile. Non eſt auditio, ſed ſeductio: etenim tota rancida placita dogmata, verba & verba, ac verba inania. Pro

Eraſm. *Inanibus verbis*, legit: *Miraculis.* Ut corda ſint frugi, verba fulminantur à docto concionatore. Haud debent declamare in ſtuporem audientium; ſed in amplexum virtutum, & deſertionem vitiorum. Aliter, non eſt audire, ſed verbis inanibus decipi.

Caſsiod. *Quos gravitas decet, inania verba fugere congruit*: ait Caſsiodorus 1. *Variar.* Epiſt. 30. & ubi declamatur inanibus verbis, audientium deſignantur ſeductiones; quoniam inveniunt in formidinem pannoſum deridiculum ſpectrum, quem in medicinam morum expectabant ut miraculum: pateteque in ſeductione animarum ludibrium, celebrare uti miracula, verba inania, quæ ſolummodò verba. *Utrum ergo putas*, ſubdit Rhetor Seneca in *Excerptis*

A ſe ſeducti.

M. Sen. lib. 3.) *hoc dicentium vitium eſſe, an audientium? Non illi peius dicunt, ſed hi corrumpunt.*

14 Surdi ſunt, ſi in erroris cognitionem vel verbo pungitur cor.

Iſai. 30. 10. *Nolite aſpicere nobis quæ recta ſunt. Loquimini nobis placentia: videte nobis errores.* Unde ergo? Ex ſermonum artificio, quo non intenditur errorum exilium, ſed tantùm loqui ad palatum, aggregatis argutijs, concinnatis criſpulis verbis; quorum blandimine vitia lactantur, & ,ut par eſt, à corde non expelluntur: Paulúſque vocat huiuſmodi verba inania adamatam ſeductionem, quin morum poſsint perdiſcere rectitudinem; quippe planè decipula, & dæmonis in ſeductionem techna, errores ex verbis clarè cognoſcere, & errores velle in oblectamen audire. Taxat Plinius, dum fugiunt curioſi auditores vera dicentes. *Iuvat* (inquit *lib. 1. Epiſt.* 13.) *quòd vigent ſtudia, proferunt ſe ingenia & oſtentant; tametſi ad audiendum pigrè coitur. Plerique in ſtationibus ſedent, tempuſque audiendis fabulis conterunt, ac ſubindè ſibi nunciari iubent, an iam recitator intraverit, an dixerit præfationem, an ex magna parte evolverit: tum demùm ac tum quoque lentè cunctanterque veniunt, nec tamen permanent; ſed ante finem recedunt, alij diſsimulanter & furtim; alij ſimpliciter & liberè.* Ut valeat corrigi, regi, ac dirigi audientium anima, fulminatur à Prædicatoribus Evangelica doctrina. Malum, ſi recta non audiunt: deteriùs, ubi corrumpunt: ſanam doctrinam non ſuſtinent, ad ſua deſideria, quæ placent, dumtaxàt placent: coacervantes magiſtros, prurientes auribus; quibus à veritate auditum avertunt, & crepitu vocum ad fabulas convertuntur. Seducuntur in propoſito, & patet verbi ſeductio: quandoquidem non intendunt in vulnera medicamen, qui in rectitudine viæ ſolicitant voces tantùm in errorem. Quid de Prædicatoribus dicit Thereſia? *Deſipiunt, quia nimis populo ſapiunt.* Ita in eius *Vit.* cap. 16. n. 5. Quid Seneca? *Turpe eſt* (ait *Epiſt.* 24.) *aliud loqui, aliud ſentire.* Os bilingue deteſtabile. *Sunt multi qui etſi bonà præditi ſint animà, & bonis moribus optimè eruditi; præſtigijs aulicis* (inquit Iacob. Boiſſard. *Emblem.* 5.) *ita ſe faſcinari permittunt; ut Magnatum vanitati inſerviant, & applaudant.* Non nobile, ſed mobile mentis conſilium, & ſine mente: igitur inſcitia vel ſtoliditas Medici; alijs pharmaco non mederi, ſed ſe ſauciare.

Auditores non incumbunt in vera, ſed in futilia.

Plin.

Thereſ.

Senec.

Iac. Boiſ.

A prædicatoribus lactati.

15 Nonnulli econtrà ſtudēt vanæ gloriolæ meritis impudentiæ, dicaces, mordaces typho inſolentiæ; qui cùm malè facere non poſſunt, cunctis detrahunt, & etiam vel de rectis maledicunt: quorum os amaritudine plenum eſt: igitur urente acrimonià cuncta ſignant, cuncta notant, omnes denigrant, maculant, vulnerant, fodicant, quin purgentur, aut excutiant vitia; quoniam taxata à procaci pervicacia. Laboravit huiuſcemodi parrheſiæ pruritu, ſchomatum pravo aborſu, Oſcus præfatus: de quo idem qui ſupr. & ibid. ſubdit: *Ipſe ab eloquentia multùm aberat, natus ad contumelias omnium ingenijs inurendas. Nulli non impreſſit aliquid, quod effugere non poſſet. Demptam velim, quam confectabatur amaritudinem, ſimulationem actionis oratoriæ.* Hinc eiuſdem furfuris Labienus; qui propter ſummam orationum libertatem, odioſumque ingenium & nomen, *Rabienus* vocabatur; ut dixi, *Tom.* 5. *T.* 8. *D.* 6. *n.* 16. Non hoc eloquentia ſed infamia: equidem procax haud proferebat mentis congruam orationi vocem; ſed in vulnera audientium animi rabiem. Horat. 2. *Epiſt.* 1. à v. 145.

Qui, quia in ſuggeſto, procaces?

M. Sen.

Horat.

——— *Per hunc inventa licentia morem*
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit:
Libertaſque recurrentes accepta per annos,

Luſit amabiliter: donec iam ſævus apertam
In rabiem verti cœpit iocus. Impunè minax
Doluere cruento dente laceſsiti.

Haudquaquàm quicquam illis conditum ſale, ni plenum pipere. Male audiunt, quia malè audiuntur. Nil mirum: loquuntur lapides. Minimèque placidum; ſi vocibus & caput tunditur, & excutitur cerebrum. *No es mucho, que quiebren la cabeza; porque hablando deſcalabran.*

16 Neſcit vox miſſa reverti: verùm nonnumquàm in eos revertuntur & in eos convertuntur lapides fundæ. *Eſt odibilis, qui procax eſt ad loquendum*: aſtruit Siracides. Experientia docet, quod nimis diſplicet: igitur ægrè fertur velle à ſapiente audire verba in vitiorum excuſsionem, & dumtaxàt invenire doctoris procacitatem. Malum, quod civitas Cariatſepher, ideſt *Civitas litterarum* commutetur in *Dabir*, quod ſonat, *Civitas veprium*. Opportuniùs ac rectiùs cogitaretur econtrà: ex *Dabir*, nimirùm, tranſire in *Cariatſepher*: equidem odioſum ac permoleſtum à ſtudioſo perquiri roſas ex litteris; & in punctionem tantùm invenire ſentes. Mala ſpina pro roſa, cùm inquiritur vera doctrina, pro qua ſufficitur damnum: odibiliſque ſignatur quiſquis procax ad loquendum; quippequàm non audiuntur queis corda (doctrinæ avida) in inſtructionem doceantur, ſed ſpinæ & ſentes, quibus aures compunguntur. Quadrat in articulum emblema illud, de quo *Tautolog. præc. D. 2. n. 10.* libri, ſcilicèt, & aratri. Hoc in veprium evulſionem: ille, in ſcientiæ ac eruditionis ſpecimen quorum nexus neceſſarius omninò; ne ſtomachum moveat prædicatoris oratio: etenim ut ſit grata ſpecimine ſapientiæ; amaritudinis extirpandæ ſunt ſpinæ.

Eccli. 20. 5.

Ioſue, 15. 15.

Et quia mordaces, odibiles.

17 Alij poſthabità muneris auctoritate, non prædicant opportunè: igitur non in prædicatione prædicant, ſed blaterant, & antequàm prædicent, & poſtquàm prædicaverint: ſuſpendentes aures ex dicendis, vel captantes acceptiunculas ex dictis, levi corde atque leviore mente: quo quidem æſtimantur à prudentibus ſine mente & ſine corde. *Dicturus apud auditoris mentem, ipſa ſua utilitate ſe deſtruit* (Gregor. Magn. inquit, 2. *Paſtoral.* cap. 4.) *ſi habere importunitas opportunitatem neſcit.* Non eſt utilitas, ſed vilitas officij commendabilis honoris maieſtas; quippe dum ita iactabundè & authenticè ſonat, ſeſe ſtolidiſsimè prædicat. *Stupenda inſania* (ait Bernard. de *Offic. Prælator.* cap. 9. n. 36.) *profectò eſſe deſiderant, quod videri geſtiunt.* Somniant omnia tenere, & ad unguem in eruditionem omnia noſſe. *Quotuſquiſque vel ætati alterius, vel auctoritati ut minor cedit? Statim ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ipſi ſibi exempla ſunt:* ait Plin. *lib.* 8. *Epiſt.* 23. Cuncta ſibi temerè vendicant, ſine fronte arrogant; cùm reverà nihil micet præter iactantiam, atque loquacitatem importunam. Si incipiunt loqui,

Greg. Mag.

Bernard

Quanta iactantia

Plin.

Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas
Pulſari.

Claud. Minos.

Quæ ars vel diſciplina in medium adduci poſſent, quorum ſe imperitos negent? Quid tam reconditum in rerum arcanis, quod mirà ſubtilitate eorum non cedat ingenijs? Si de litteris humanioribus agitur, ſine ullo pulſamine cognitionis (quia nec deguſtarunt primoribus labris) vel deſipienter buccinant, vel riſu ficto cachinnãt, quaſi huiuſmodi ſtudium ſit puerorum. Si de Iuriſprudentia ſurgit fortaſsè memoria; veteratorum ab illis dicitur ſcientia, doloſa embolia, ſtupidorum tricæ, oculorum fuci, fatuorum præſtigiæ, gloſſematum colores, & poteſtatis auctoratæ farragines. Quid de medicina? De ſingularibus, dicunt, non datur ſcientia. Hippocrates depontanus ſenex: Galenus ſcripſit fatuis. Quid non verbigerant de iudicijs Aſtrologicis? Quid Philoſophia? Volitant per ſcientiarum ambitum, & implent circulum, cùm Ariſtoteles cæcutiat, Plato ineptiat, Albertus garriat, Aquinas emendicet, & quilibet reſpectu illorum deliret: ſiquidem eorum meditatum encomium, ſcientiarum vituperium: ſciunt enim, omnia ſcire, & ignorant ignorare: & quò ſe illiteratos neſciunt, eò deteriùs ſtultiores fiunt: igitur pro ſumma ſcientia; è buccis vomunt in riſus rudera & rudera. Vel ſiccine implentur faſtu, & neſciunt impleri vento. *Quanta dementia eius eſt* (infit Stoicus *Epiſt.* 52.) *quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio dimittunt? Quid lætaris, quòd hominibus ijs laudaris, quos non potes ipſe laudare?* Seſe ſtupent: & ut urit Horat. d. *Epiſt.* 1. v. 49.

Et nugarum affluentia!

Senec.

Miranturque nihil:
Vi critici dicunt.

Horat.

18 Quid non magnum expectandum ab his ingenijs, ornatis ſiſtris & crotalis? Quidni? *Nam licèt acriora ſint, quæ legas* (inquit Plin. *lib.* 2. *Epiſt.* 3.) *altiùs tamen in animo ſedent, quæ pronunciatio, vultus habitus geſtus etiam dicentis affigit.* Qui ante ortum radios præmittit, exortus Sol ampliore ſplendore lucebit. Ipſi dicant: etenim ſæpe ut filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli.

Plin.

In voce magni, in facto nulli.

Genus doctum pugnare ſagittis,
Cũ pharetra amiſſo certamina deſerit arcu.

Cruc.

Declamatoriæ virtutis Latronis Porcij ſit unicum exemplum. De eo lib. 4. *Controverſ.* præfat. infit M. Seneca: *Cùm in Hiſpania diceret, uſque eò eſſe confuſum, ut à ſolœciſmo inciperet: nec antè potuiſſe confirmari, tectum aut perietes deſiderantem, quàm impetravit, ut iudicium ex foro transferretur. Uſque eò ingenia in ſcholaſticis exercitationibus delicatè nutriuntur; ut clamorem, ſilentium, riſum, cœlum denique pati neſciant. Itaque velut ex umbroſo & obſcuro prodeuntes loco, claræ lucis fulgor excæcat; ſic iſtos à ſcholis in forum tranſeuntes, omnia tamquàm nova & inuſitata perturbant: nec ante in oratorem corroborantur, quàm multis prædomiti contumelijs, puerilem animum, ſcholaſticis delicijs languidum, vero labore durarunt.* Elucet iam ex facto, quanta illorum eruditio. In huiuſmodi prælium nec habent uſum: fatenturque fronte pudibundà nihil ſcire, qui cuncta callere, gloriabantur ſtolidè: & contumelioſè, ut canit Manil. 1. *Aſtron*, cap. 5. v. 103.

Marc. Senec.

Frigida cœruleo contorquent lumina vultu.

Manil.

Difficultatem invitè caſtris in novis agnoſcunt; ſed ut videantur omniſcij, livore in gloriolam ſtupidè ſtimulantur: & dum progredi ex obitecto ſolicitant; quaſi reticulis ipsà diligentià in ludibrium faſtu cæſpitant. Dicit Rhetor (d. in *Excerpt.*) quid hi in eiuſmodi articulo: *Dum nihil vult niſi ſplendidè, niſi cultè dicere; ſæpe incidebat in ea, quæ deriſum effugere non poſſent.* Siccine quæ tumidis videbàtur (lippis etiam tonſoribus) pervia, pudibundi fatentur impoſsibilia; neque voluiſſe, ſat eſſe.

Sunt ſcitiæ ludibria.

M. Sen.

19 Vel irriſu haudquaquàm reſiliunt à vanitatis propoſito: equidem cùm volunt docere quæ ignorant, ſtriduli volitantes ardeliones; *erunt magiſtri mendaces.* Ex ijs regulas in methodum & ſeriem doctrinæ efformant, in quibus maximè peccant: amplectuntur (quippe alia neſciunt) quæ qui magiſtri uti errores averſantur; ac in doctrina mentiuntur, amittentes propter deſipientiam & audaciam magiſterium: etenim non ſunt magiſtri magiſtri errorum. Quæ in oratione abſurda, magiſterij uſurpatà licentia, indigitant ſummè conſona: quæ vacua, plena; quæ exigua, grandia; quæ deridicula, ſolida; quæ immodica, ſublimia; & denique concinnitati eloquentiæ reſpondentia, quæ à peritis ſignantur enormia & tumida. Si arguũtur, planè fatentur; ſed excuſantur: ſiquidẽ modò non eſſent magiſtri mendaces, haud plauderentur magiſtri: & ſi aliter ſequerẽtur placita ſanæ mentis; haud obtinerent ſtupidos inter, diadema temeritatis, inſignia honoris, paradoxis conciliata, vocum novarum præſtigiatricum induſtrià. Pende: *Debet enim orator erigi* (dicunt ex Plinio, lib. 9. *Epiſt.* 26.) *interdum etiam efferveſcere, efferri, attolli, ac ſæpe accedere ad præceps: nam plerumquè altis & excelſis adiacent abrupta. Tutius per plana, ſed humilius & depreſsius iter. Frequenter currentibus, quàm reptantibus lapſus; ſed his non labentibus nulla laus; illis nonnulla, etiam ſi labantur: nam ut quaſdam artes, ita eloquentiam nihil magis quàm ancipitia commendant. Vides, qui per funem in ſumma nituntur, quantos ſoleant excitare clamores, cum iam iamque caſuri videntur. Sunt enim maximè mirabilia, quæ maximè inſperata, maximè periculoſa.* Apta prorsũ apoſtrophe & apodiſis, in huius commendationem ridiculi magiſterij: ſine læſione, ſcilicèt, per funem agitari & circumvolvi. Si cadit, alliditur: ſi non labitur ridetur. Unde dum expectatur hominem videre inſignem; dexteritas futilis ridentibus offert temerarium & audacem.

2. Petr. 3. 1.

In veritatis certamine, vox faucibus hæret.

Plin.

Nec irriſi reſipiſcũt

20 Præcavet œſtrum inflationis huiuſcemodi Apoſtolus Iacobus. *Nolite* (inquit) *plures magiſtri fieri.* Non dicit, *Nolite fieri magiſtri*; ſed Magiſtri plures. Quid ſi ſinguli; in ſingulis pluralitas magiſterij? An quia omniſcij? Nullo modo, ſed ut ſint magiſtri in magiſterio. Ut per doctrinam & ſapientiam veri magiſtri ſint; quippequàm ſi fiunt, non ſunt. Primum eſt doctrina veritatis: ſecundum, mendacium oſtentationis; quia ſeſe arbitrantur aptos ad omnia, & ad nihilum valet falſa ſapientia: magiſtrique perſtringuntur mendaces, ſi modò ſinguli magiſtri plures; igitur plerumque ſapientia reperit idiotas, fatuos, ſtolidos, dum in ſingulis cogitat plures poſſe inveniri magiſtros. Sat homini, eſſe doctum in propria facultate. Falx eſt cum audacia ingenium alienà in meſſe. Non hoc, magiſtrum eſſe, ſed fieri, & nihilum eſſe: fieri magiſtrum mendacem, quin doctrinæ in elluvione bucciſlantium ſit ſpecimen; invenientium ludibrium, dum adinſtar Caroloſtadij, ſolicitant ex oſtentatione plauſum. Hic uti mendax quærebatur Doctor, verùm inventus eſt Piſtor. Adi Cochlæum, de *Geſtis Luther.* De cunctis di-

Iacob. 3. 1.

Arbitrantur ab alijs ignorari, quæ ſibi videtur ſcire.

diſputant, cum argumenta neſciant; ſed coram imperitis imperitiam iactant. Cuidam induſtriam in armis oſtentanti, inſtructo ligno in hoſtem; dixit Demonax: *Macte, viciſti: præclarè, in lignum, & coram ligno.* Haud aliter horum doctorum victoria. Pyrgopolinices coram lignis digladiantur & in ligna. Toti diſfluunt & effluunt: non voces fundunt, ſed effundunt, certantes ficulneis gladijs, quorum acer intellectus.

Eraſm. d.

Primus & ultimus orbis,
Nil niſi pompa tuba.

Ovid. 1. *Faſt.* v. 716.

21 Cicero pro *Cælio*, & ſimul de *Oratore*, inquit: *Eloquentiam omnium difficillimam videri; eò quòd conſtet rerum pulcherrimarum ſcientiâ, compoſitione apta verborum, motuum cognitione, iocorum & facetiarum eruditione, ſubtilitate reſpondendi & laceſſendi, urbanitate, hiſtoriâ, prudentiâ iuris, actione, memoriâ.* Siccine comere intendunt plerique prædicantium orationes; ut corda alliciant philtro concinnitatis. Verum quid? Dicit ſerm. 74. in *Cant. c. à n. 9.* Bernardus. *Non culpamus donum, ſed uſum.* Abuſu gratiæ amittitur gratia: & non inhibetur gratia prædicatoris, ſed gratia affectata & ſtudioſa; quoniam tunc in ſapientia amittitur ſapientia. His infeliciter accidit quod Lucifero philauto. *Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo.* Non eſt mala ſapientia cum decore; quippe ſummè æſtimabilis decor ſapientiæ. Unde ſapientiæ perditio? Non ex decore ſed *in decore tuo. Tuo*, ſtudium eſt prædicantis: *Decore*, prædicationis. Hoc in verbi ſeminati veritatem: illud in ſapientiæ oſtentationem: & abuſu gratiæ amittitur, ipſa ſapientia, quæ decore habetur; quoniam nullum ex ſapientiæ decore emolumentum ſi in prædicatione tantùm decoris ſtudium. Malum, ſi inimici Domini mentiti ſunt ei: peſſimum, ſi mentiantur amici: etenim patet mendacium in ſpargentibus ſemen; ubi decore ſapientiæ proprium intendunt decorem.

Cicer.
Bernard
Eloquentia, affectata, infructuoſa
Ezech. 28. 17.

22 Dicam unde mendacium. *Hiſtrionem tragœdiarum* (refert Eraſm. quò dudùm, *n. 23.*) *qui in Olympijs, oſtensà terrà, pronunciaverat, O Iupiter! Summovit Timocrates à præmijs, manu in cœlum proiecta, & dicens, O terra! additque: Hic manu commiſit ſolœciſmum.* Cadent prædicatores & meritò causà, qui ambiunt ſimiliter de prædicatione præmia. Aliud ſignant manu, & aliud buccinant verbo. Aliud opere, aliud perſonant ſpecie: paterque rationi abſurdum, & terram opere, & verbo ſignare cœlum. Elucèt in oratione decor improprius ſapientiæ. Proprius eſt, cœlum verbo & opere ſignare. Improprius, aliud loqui, & aliud eſſe; quo, licèt decore ornata, vera amittitur ſapientia: ſolœciſmuſque auditur, ubi huiuſmodi contradictione prædicatur; quoniam minimè cohæret (dum ſapientiæ Verbi Dei exponitur claritas, & uſque in cœlum ſublimitas) non videri, nec quæri ſapientiam prædicationis, ſed decorem prædicantis. *Prædica prædicationem, quam ego loquor ad te*: dicitur Ionæ, ut conſtet, quis prædicando prædicat, & quis dumtaxàt vociferatione clamat. Prædicatio, quam Deus loquitur, decore ſapientiæ ornatur: nullamque habet ſummo ſplendore virtutem; ubi in illa non illius, ſed ſui quærit, qui concionator, decorem. Dicit decore, ſed non decore ſapientiæ. Aliud ſignat manu, & aliud verbo. Dei ergo in prædicatore non eſt opus; modò loquatur, quæ non loquitur Deus. Cauſa ſubeſt, nec fruſtrà profertur à Paulo: *Evangelium, quod evangelizatum eſt à me*: & iterùm, *Evangelium Dei evangelizavi vobis.* Dicit brevì, quod congruit muneri, ut audientibus hæreat decor ſapientiæ: quandoquidem ſtudioſo cultu, ornatu, faſtu, feraci facundiâ vocum, prædicatur; ſed non evangelizatur Evangeliũ. Exit ſpecioſitate verbi Dei, ad ſeminandum; nihilque ſeminat, quia non ſeminat in fructum, ſed in lolium. Videſis dicta *Tom. 6. T. 8. à n. 4. & D. 2.*

Eraſm.
Unde vociſſui & vanit
Ion. 3. 2
Galat. 1. 11.
2. Cor. 11. 7.

23 Totum huiuſmodi eloquium dirigitur à Domino *ad Paſtores qui paſcunt.* Ideſt, ad Paſtores, qui gregem non paſcunt. Unde non paſcunt paſcentes? Abutuntur ſanè paſcuis. Paſtus gregis eſt verbum in decorem virtutum, & averſionem vitiorum: & quamvis de vitijs & virtutibus in paſtum loquuntur, nequaquàm paſcunt; quia totum in ſermone folia & folia, & ad fructum ferendum verba futilia. *Omnes paſtores tuos paſcet ventus*: dicitur ab eodem Vate. *Qui nititur mendacijs, paſcit ventos*: profertur à Salomone. Hic ventus paſcitur, ibi paſcit ventus. Vento paſto & paſcenti, confertur opus prædicationis inutile: igitur cùm paſcere gregem debeant, qui paſti, paſtu ieiunant; quoniam paſtus verbi Dei in nutritionem gregum, totus ventus & ventus in vanitatem paſtorum. Qualis ergo cibus ſolidus in iuvamina ſalutis; ſi qui paſcunt, & ipſi paſcuntur ventis? Ipſi paſcunt, ut paſcuntur, quo greges prorsùm langueſcunt: igitur ſtudio otioſo, ex verborum rutilantium artificio, paſtus inſti-

Iere. 23. 2.
Paſcunt vane, à vanitate paſti.
Prov. 10. 4.
Cap. 22. 22.
Et auditores fiunt ieiuni.

ſtitutus in virtutem; convertitur in prædicantium ventoſam riſibilem vanitatem. Defectus telluris tranſeunt in ſtoliditatem prædicantis: ſiccine verbum Dei conculcatur & teritur: areſcit; ſi forſitan oritur, ac ſpinis ſuffocatur. Ulteriùs procedit malum: igitur vel in optima pectorum terra, ſeminantur pro fructu, ſeminis folia. Unde vento extinguimus ſplendorem (ut accinit Virgilius, 4. Æneid. v. 218.)

Virgil. *Famamque fovemus inanem.*

DIDASCALIA VI.

Morum correctio indiget iudicio.

Iere. 23.

1 AD paſtores, qui paſcunt Domini dirigitur ſermo, ut conſtet iuxta munus, paſtus in paſtorum paſtu, ad utilitatem crediti à Numine gregis; quippe paſtores interdùm non paſtores, ſed carnifices. *Vos diſpergitis gregem meum & eieciſtis.* Longè à paſtu ovium eiectio: dicitque meditanter *ad paſtores, qui paſcunt*; ut obſervent & adimpleant miniſterium: etenim perperàm paſcentur greges, ubi deiectæ diſperguntur oves. Virga Moyſis, quia virga directionis, erat inſigne reginimis. In manu habuit, è manu proiecit; *& verſa eſt in colubrum, ita ut fugeret Moyſes.* Quod iurè deſpiciens à ſe eiecit, pavidus illicèt horret? Eſt exemplum ovis errantis, eiectæ deſpectu è manu paſtoris, à quo deſperata gratia, propter ſcabiem atque fœtida vulnera; qua cogitatione percelluntur ſæpe dyſcoli & indomiti ſubditi: qui quidem vel ſiccine, non proijciendi a paſtore; quoniam ſi cognoſcit averſum habere Præſidem, quilibet proiectus convertitur in draconem. Vernaculè: *Siempre ſe pone como un aſpid, ò ſe convierte en dragon, el que concibe arrojado, que no tiene que perder.* Appoſitè Stoicus, 5. *Benefic.* cap. 21. *Quomodo fœnerator* (inquit) *quoſdam debitores non appellat, quos ſcit decoxiſſe, & in quorum pudorem nihil ſupereſt, quod pereat.* Virga lignum erat, quod manu dirigi quibat, eſtò flecti non poterat. Proiecta, in ſerpentem mutata, quippe proiecta; ut Præſes videat cautè, quid cum ſubdito operetur inutili: equidem uti ſerpens evomet è corde venenum, quamvis lignum, quoniam lignum. Sub ſpecie ligni in manu haud ſe movebat: in terra cuncta ſpiris agitabat. Non erat ſine veneno, quando ſub rectoris manu; ſed deerat opportunitas malignitati inclinationis, in exitium & incommoda regentis: & dum proijcitur, in ſerpentem convertitur; quoniam proiectus totum virus oſtendit, quod ligni ſpecie in viſceribus ſervavit. Moyſes, quod nec cogitaverat, vidit: videndo fugit. Quid mirum? Cui non incutiet horrorem, qui ſubditus quia proiectus converſus eſt in ſerpentem? Malum nonnumquàm à lignorum pravitate; ſed timendum valdè ab inutilium ſubditorum proiectione: maximè ſi adinſtar virgæ ad manum integerrimi Præſidis, fuerunt incogniti aliquando fucis & fucis inſtrumenta reginimis: igitur illorum percellit & pungit animum, quòd illorum ſimulatum cognoſceretur venenum.

Paſtores Dominici gregis, ſint paſtores.
Exod. 4. 3.
Subditus deſperatus, horridus.
Senec.
Quid, ſi proiectus?
Non iraſcitur, quia malus, ſed quia cognitus.

2 Quod uſuvenit interdùm ſubditorum malitiâ; interdùm contingit Superiorum imprudentiâ. Proijciunt ſine delectu ex voluntatis prolubio: & ſubditum, eſtò lignum proijci haud congruit, ni Deus iuſſerit: verùm ubi Dei mandatum; quantumvis ſibilans convertatur in colubrum. In manu poteſt teneri, retineri, dirigi: ſi proijcitur, nullo modo poteſt regi: & ut pravi regi poſsint; è manu dimittere, qui Superiores non debent: equidem ſi pravus cogitat fore Superioris gratiam; qui coluber, forſitàn convertetur in virgam. Sic enim paſtor paſcit, vel dum corripit; quia non corrigit, ut corripiat, ſed ut corrigat: huiuſmodique à Domino documenta diriguntur ad paſtores qui paſcunt; quoniam ſi ſubditos in correptione proijciunt, non corrigunt. ſed diſpergunt. Prudentia temperat omnia, *& differentias habet, quas exigunt tempora, loca perſonæ*: infit Seneca, *Epiſt.* 94. Paſcuntur greges ne morbidi fiant; & modò infirmi, ut revaleant: minimèque in paſtu erit paſtus veri cura; ni in ovibus rationalibus librentur à prudentia & perſonæ & loca & tempora.

Quando correctio neceſſaria?
Senec.
Sed cum prudentia.

Ignari medici demit medicina ſalutem:
Dum prodeſſe putat ſemper obeſſe ſolet.

Lib. de *Morib. Medicor.*

Non aliter de hominum ægritudinibus, quàm irrationaliũ loquitur præfatus Stoicus. *Eodem loco pone homines* (infit, de *Vit. beat.* cap. 4.) *quos in numerum pecorum redegit hebes natura, & ignoratio ſui. Nihil intereſt inter hos & illa; quoniam illis ratio nulla, his eſt prava, & malo ſuo atque in perverſum ſolers.* In huiuſmodi morbum debet expendi totum paſtoris ſtudium, ut oves habeant in ſalutem paſtum: equidem ſi paſcant citra prudentiam, non paſcunt; ſed medicina deteriores fiunt. Flo-

Senec.

Floride Claudianus de *Bello Getic.* à v. 120.

Claud.

Cautius ingentes morbos, & proxima cordi
Ulcera, Pœoniæ tractat ſolertia cura,
Parcendoque ſecat, ferro ne longius acto
Irrevocandus eat ſectis vitalibus error.

3 Methodum neſcit curationis qui in vulnera digladiatur zelo legis, curareque intendit inſanos, etiam dum videt bile commotâ phreneticos: igitur in ſalutem neceſſaria correptio, debet eſſe cum conſilio: maiorque fiet medicaminibus error, quippe legi non cedit effrenis furor: & qui intrepidus ac audax perfregit legem, temerarius etiam conteret Præſidis imprudentis auctoritatem. Tunc Præſes inſtat furente furioſior, & amente delirior; ubi zelo ſatagit redigere in mentem, qui nullam habet, neque cognoſcit rationem. Stoliditas eſt, ignem fodere; atque fodiendo cogitare ſopire. *P. Rutilius* (refert Valer. Maxim. *lib. 2. cap. 3.* n. 2.) *vitandi atque inferendi ictus ſubtiliorem rationem legibus ingeneravit: virtutemque arti, & rurſus artem virtuti immiſcuit; ut illa impetu huius fortior, & hæc illius ſcientià fieret cautior.* Non ſecùs nexus artis & virtutis in correctionem criminis, ne maius inferatur vulnus, dum vulnerati ex correptione intenditur ſalus: igitur modò ſine virtute & arte validus ictus; infertur, ſed non vitatur; quoniam longè medicina, ſi vulnera exacerbata: quandoquidem crimine languens de dolore dolet, & non de crimine: eritque in medico & in ægroto furor, ubi dumtaxat de dolore dolor. Ars miſcenda virtuti, ut hac correctio ſit fortior & illà cautior: etenim quantumvis valeat in Superiore ratio; nequaquam prævalet ſine tempore & modo. Neceſſarius utriuſque nexus (*Regul. Sanct.* cap. 53. infit Glorioſus Benedictus) *ut domus Dei à ſapientibus ſapienter adminiſtretur.* A Sapientibus ſapienter. Appoſitè. Innuitur modus, ut cogitetur perſona, locus & tempus; quippe ni ſapienter in correctionem ordinetur cauſa, ad nihil valet altæ virtutis ſapientia: egetque arte, vel virtute comite: aliàs Præſes non videtur intendere in crimen, ſed omninò in delinquentem; non in culpam, ſed in pœnam: ità ut ubi ſibi lege & virtute videtur iurè zeloſus; ſine rationis arte appareat furenter ſanguinolentus. In rem Seneca, 3. de *Ira*, cap. 25. *Si iratus eſt* (inquit) *demus illi ſpatium, quo diſpicere quid fecerit, poſsit. Se ipſe caſtigabit: denique dabit pœnas.* Prudenter ſiccine agitur à prudente, furioſo in regimen reſtitutà ratione: igitur libenter recepturus, quam renuebat, diſciplinam; poſt criminis agnitionem, & furoris pœnitentiam.

Qui iratum corrigere tentat, in peius irritat.

Valer. Max.

Quare?

S. Bened

In correctione ſit & locus, & tempus & modus.

Senec.

4 Hoc intuitu haud ſtatim mittitur à Domino Nathan ad delinquentem David; cuius libidinis œſtro punctum acerrimè cor. Curare intenderat rationali methodo ſuffoſa vulnera, & ſimul obſervantur tempus, locus & perſona. Locus, quia dum obiecit crimen, teſtis ullus non apparet, ut criminis & non aliunde puderet. Perſona, ut cogitans alienum, in ſe iudex conceptum verteret odium: & denique tempus, expectans in correctionem; ut furentis deferveret appetitus: equidem cùm laſcivia adimat mentem, ſtimuletque phreneticum in furorem; ni opportunè in correctionem vulneris medicus adveniſſet, medicum & medicamen, foto crimine, calcaſſet. Exhibendum eſt ſpatium, ut qui deliquit, ſecum valeat diſpicere quid ſine mente fecit: etenim iam compos mentis, luce cognitionis, ſui pœnitet: pœnaſque dabit; quoniam in correctionem vulneris amplexabitur medicum, quiſquis fractione iuris & legis ſe cognoverit ægrotum. Dea *Horta* à Priſcis dicta eſt Dea *Hora*; cuius fores fani ſemper perviæ, de qua Plutarch. *Rom.* qq. 46. Chartar. de *Imaginib. Deor.* pag. 249. Roſin. *Antiq. Roman.* lib. 2. cap. 19. & nos in *Ephemer.* 13. *Iul.* Dum conſilium in prudentiam aptatur, idem binomium exponitur; maximè dum pungitur animus, eò quòd diſcriminis in ſalutem non ſit exitus. Qui deliquit, æger iacet, voluptati eſtò gravatus ſuccumbit, reputans captus mente illecebrarum dulcedinem; quam illuſtrante ratione dolentis diceret amaritudinem. In pœnitentiam ab Horta vocatur: & ei Hora prudentiſsimè iungitur; quippe difficulter admittitur pœnitentia, ſi ad eius exhortationem non eſt hora. Debet tempus obſervari, ut amens reſtituatur rationi dominatrici; quoniam dum fervet appetitus, nec doloribus in ſalutem datur motus: & quos vitia profundè in vinculis tenent, etiam percuſsi non dolent. Dandum eſt tempus, ut fallacis obliviſcantur dulcedinis, & recordentur opprimentis gravaminis: & in huiuſmodi articulo Hora comitatur Hortam; quia ſine opportuno tempore nequaquàm valent exhortari in pœnitentiam. Hora & Horta, ut languens cogitet vulnera: equidem in ſanitatem revalebit animus, modò in dolorem concedatur tempus.

2. Reg. 12.

Quæ Dea Horta?

Obſervetur opportunitas, ut relegetur improbitas.

5 Cùm ſemel optimè modus in pœnitentiam erroris ceciderit; in denuò lapſum Deus medicinam regeſsit. Vanitate ductus ex

ex fomite potentiæ David; in phantaſiæ blandientis lenimen, numerari iuſsit univerſum Iſraël. Conſilia cogitavit, quæ ſtabilire non potuit. Error erat, uti vanitatis in præceps, verùm faſtu minime cognovit tumidus Princeps; etſi Ioab ambage gloriæ periculoſæ avertere tentaret, ut à ſuis cogitationibus formidoloſè decideret: *Quid* (dixit) *in re huiuſcemodi? Quare hoc, quod in peccatum reputetur?* Repræſentatione conſiliarius diſplicuit, & *ſermo Regis magis prævaluit.* Totum infectum vel in facto, quia nihil rectè quod ab invito. Nullam apud Numen invenit gratiam; quod vel in aulicorum obſequijs ingeneravit violentiam. David ut cogitavit, implere iuſsit, ſibi de ſumma potentia placuit: at *Percuſsit cor David, poſtquam numeratus eſt Populus.* Tunc iuſſu Domini poſtquam peccatum cognovit David; ad illum ut pœnam criminis eligeret, venit Gad. *Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris.* Cur igitur huiuſmodi pœna non fulminatur, ubi Populum numerando peccàvit, & monitus à propoſito non deſtitit; ſed poſtquàm, conſcientia ſtimulante, reſipuit? Ut correctio haberet effectum, etiam dum iurè caſtigatur peccatum. Pœna inferri delinquentibus non debet, niſi dum proſit: & dum David cognovit peccatum, ei immittitur pro correctione ſupplicium; quippe pridem non prodeſſet, ſi peccatum ut peccatum non cognoſceret. Perperam reſipiſcere poterat, ubi in crimine crimen non reputabat: in huiuſmodique articulo, non eſſet in correptione correctio; quippequam quaſi eſſet virtus, vel contra monentes defendebat ſcelus. Monitus inſtabat in temeratio propoſito, percitus faſtu, imaginationis luxu; quaſi rem miram faceret, & ita fieri pro maieſtate expediret. Quid Dominus? Expectans expectavit, ut videret, quid feciſſet; & conſcientiæ collatione, quod feciſſet ſtultè. Priùs nec Horta, nec Hora, ut ſurgeret ex pudore pœnitentia: & tempore dato, ex ſupplicio criminis obtinetur correctio; quoniam priùs nullo modo admitteret correptionem, cùm ex prolubio furioſus deliraret extra mentem. Deus plecti, ut ſanet; ut corrigat, corripit; quia non immittit acerbitatem doloris, niſi ut dolore excutiat arte gravitatem criminis. Pridem erat in corde gloriolæ futilis ulcus: tunc in ſanitatem inferendam non erat tempus: & ſine opportunitate poſt crimen cognitum, correctio non haberet pœnitudinis fructum.

2. Reg. 21. 3. 1. Paral 21. à 3.

Ver. 10.

Ver. 12.

Pœna infligi non debet, niſi dum proſit.

6 Ulteriùs. Multùm intereſt obſervare tempus, ut peccatorum, maximè potentium, frugi convertatur animus; quoniam dum crimina præ auctoritate blandiuntur, faciunt ſine reſipiſcentia, quia fecerunt: à Dominoque Davidi mittitur in correctionem Vates, poſt agnitionem criminis; ut effectum haberet medicamen correctionis: igitur ex errore iam non fraus, ſi a ſe percuſſum in reſipiſcentiam cor: profectò totus exulabit error, cùm excutitur furor. Pedetentim procedendum, ut à cæco, impote mentis, cognoſcatur erratum. Percuſsio à ſe cordis, ſignat vulnus pœnitudinis: tuncque ut exceſſum plagis corrigat, Propheta à Domino mittitur; quoniam delinquens diſpoſitus in correctionem videtur (ut huius obtineatur & arte & virtute fructus) ubi contuſum peccatoris pectus: quapropter Dominus, ut delinquentem Principem vidit, quaſi non videret, tacuit.

Ubi criminis furor, diſſimuletur error.

Etſi morbo laborantes videat,
Tamen ſe videre diſsimulat,
Hiſce amoris legibus.

Euripid

Ut ait Euripides *in Hippolyt. v.* 461. Qui ſtudebat vanitati ſine mente, pungitur corde, & penitet facti: tuncque gravatur plagis; ut conſtet & zelus legis, & in pœnis prudentia Superioris: igitur nunquam congruit, quòd errabundum corrigat; priuſquam criminis commiſsi intrinſecus reſipiſcat. Pœna in dolorem vulnus eſt: pudore iam punctum cor. Gravior dolor à corde, quam ab exteriore vulnere: & ad correctionem dolor quæritur in plagis; ut ſanetur intenſius mortificans vulnus cordis: igitur ægriùs fertur deliquiſſe, quam plecti; & plus, pœnas mereri, quam pati.

Ut opportunè corrigatur.

7 Ex contextu conſtat, quàm placidè à delinquente pœna criminis ſuſcipitur, ubi cum prudentia reſpiſcentia fovetur: *Trium tibi datur optio: elige.* O bone Deus, & quanta bonitate, vel his qui non recti corde? Crimen plectendum, ut deleatur, quia dolor dolore expellitur, & pœna exhibetur criminis ad electionem & lubitum delinquentis? Quàm iuſtificata profectò exponitur, ubi etiam ab ipſo patiente eligitur. Altius latet documentum in Didaſcaliæ propoſitum. Si in furore meditati proterve conatus, ab offenſo infertur ſtatim correptionis vulnus; forſitan pravè induraretur cor, quoniam cor hominis vanum eſt. Si cor à ſe criminis fœditate non pungitur; duris tormentis in cognitionem non flectitur. Furit, ac ſine cerebro in ſemet

Ver. 12.

Si opportunè, eligit culpæ pœnam, qui deſtebat culpam.

mel concepta permanet. Quod impoſsibile in pœnitentiam à violenta externà vi, ſine vi conficit cor, dum compungitur à ſe; cognoſcente erratum, & amplectente in correctionem ſupplicium: igitur pudor criminis ita ſuffundens aggravat animam; ut peccator, velit, nolit eligat lubitò pœnam. Nihil enim pœna fieret, ni tempus in pudorem intercederet.

8 Veniam legimus datam fœminæ adulteræ, vel iudice Salvatore: *Hæc mulier* (dicunt actores) *modò deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandavit nobis, huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* Expoſuerunt & culpam, & eius pœnam: *Ieſus autem inclinans ſe deorſum ſcribebat in terra.* Quorſum hoccine? Si conſtat peccatum, utquid differtur iudicium? Hæc modò deprehenſa eſt in adulterio. Plectenda, verùm non modò. Tempus dandum, quo diſpicere poſsit, quid fecerit; ut ipſa ſe ante ſententiam caſtiget: & ante ſententiam qui iudex (utpotè prudens, figmentumque noſtrum cognoſcens) tribuit adulteræ tempus; ut videret, oppreſſus crimine, qui operaretur animus: *Genæ lachrymis madentes, pallidaque metu mortis* (ſubdit hìc Nonnus) *aliquem ruborum habentes ob peccati turpitudinem, pondus habebant doloris. Cumque ſolam vidiſſet & plorantem, vehementer ingemiſcentem, atque continuò in humum defixos oculos, dimiſit liberam.* Elucet, cur in ſententiam dilatum iudicium, in exemplum Superiorum, advertentium leges fractas; ut luant ex iure tranſgreſſores pœnas: etenim ſi ut deliquit, adultera plectebatur, nullo modo criminis ex corde compungeretur. Ni iudicium prudentia differret; priùs adultera moreretur, quam tranſgreſsionem cognoſceret. Dirigeretur pœna non in odium criminis, ſed in odium delinquentis: & inferenda neceſſaria tranſgreſſoribus ſupplicia; poſtquam compunctione cordis revaluit anima. Salvare cupiebat Chriſtus adulteram, & vel patente crimine differt ſententiam; etenim ni iudicium differret, mortem fœmina, & non delictum plorart. Ut crimen ploretur, criminoſus corripitur. Non ploratur, ſi non cognoſcitur: lachrymis dolor exprimitur, eò quòd punctum dolet cor, quippe lacerata lex: damnaretur adultera, modò infligeretur pœna, & cum Chriſtus intenderet in criminis correctionem, & non in crimen; iudicium actorum prudenter diſtulit, ut non inveniret in iudicio, quod damnaret. Gladium ligavit divinæ iuſtitiæ, compuncta corde: igitur criminis ante ſententiam pœnituit, & ante iudicium ſe dignam morte cognovit. Manilius, 1. *Aſtron. cap. 2. verſ. 51.*

——— Fecitque cadendo,
Undique ne caderet: itaque plagis,
Probibent in longius ire.

9 Præceptum eſt Cordubenſis præcitati: *Cui plus auctoritatis* (ſubdit, 3. *de Ira, cap. 39.*) *moras nectet, & dum maiorem quærit pœnam, præſentem differt. Omni arte requiem furori dabit.* Iuſtificatur enim cauſa, ſi dato tempore negligitur pœnitentia: *Væ tibi Ieruſalem* (dicit Dominus) *non mundaberis poſt me, uſquequò adhùc?* Patet vel in rigore, clementiæ inſigne: equidem non ut plectat, homines plectit; ſed ut à fæce criminum mundet: *Non mundaveris poſt me.* Id eſt, vel in aviditate criminis non plecteris. Grande ſanè ſupplicium, crimen inultum: quia ſumma pœnæ, in peccatis à Domino derelinqui. Sic bile percitus ſubdit: *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad Populum iſtum.* Si plectere tantam populi pravitatem intendit, ac in ultionem valet; cur modò connivet? Ut ſupplicio opportunè corrigantur; quippe ſi modò, nequaquam corrigerentur: *Remedia* (infit Seneca, *epiſt.* 64.) *tantùm morbis, & temporibus aptanda ſunt.* Erant dediti idololatriæ, furorem uſque, crimina defendentes, capitones & audaces: tuncque pœnas debitas criminibus prætermittit, qui compeſcere ſatagit; quoniam deterius appareret crimen, ſi poteſtate abſoluta conaretur ſantiatem, protritâ auctotitate à tranſgredientium furore: etenim fumo cupiditatis, & phreneſi inclinationis, vel inflictis pœnis legis, procaces frangent cuncta repagula iuris: nulloque modo corripiendi ſunt ſubditi, qui graſſante pravitate inſtat furore correpti; quippe tunc plagæ inutiles ſine fructu, correctionis deſperatio, qua altius radicatur morbus, eò quòd illo in tempore non ſit tempus, fruſtratis medicaminibus: ſiquidem non compuncti uſque in inſaniam excandent, qui nec tormentis tortis viſceribus, dolent.

10 Hinc dicit: *Non mundaberis adhùc.* Nedùm diſpoſitum cor, ut corde ſequaris me: igitur tunc anima averſabitur crimen; ſi ſequatur in ſalutem corrigentem. Priùs enim ſananda, quàm inferatur pœna, ſiquidem ex illa fructus obtinetur correctionis; quia punctus corde noſcit fœditatem crimis: *Uſquequò adhùc?* Donec fiat in Numen atque legem converſio. *Si*

Ioan. 8. à 4.
Nonn.
Nectanda mora ut doleat crimina
Manil.
Senec.
Deus plectit, ut mundet.
Ier. 13. 27.
Cap. 15. 1.
Summa pœna, ab illo relinqui.
Senec.
Ut vulnus ſanet, correptionē prętermittit.
Priuſquam infligatur pœna, ſanetur cognitione iniquitatis anima.

Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis. Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ ſunt averſiones noſtræ: tibi peccavimus. Quid tunc, qui tot exceſſus prudenter diſsimulavit? *Audivit Dominus & diſtulit, & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſraël.* Vehementer inflammata eſt indignatio, quia diſsimulatione nulla perfecta correctio: atque ſenſerunt poteſtate iratum, quem ſprevere pium. Qui ſummè miſericors; ita vel veniâ petitâ, in iracundiam commotus? Supplicium diſtulit, ut animabus ſalutem inferret. Expectavit tempus, ut executeretur converſione morbus: igitur ſi cùm voluptas pravè ferveret, ut poteſtate valebat, gladium immitteret, miſiſſet ſanè dolorem, ſed non expelleret crimen: peiùs enim agerent, cum dolerent: cognitoque crimine, factâ frugi converſione, corde punctis graves immittuntur plagæ; ut non ulciſci propter peccata pateret, ſed ut pœnis & gravimine corrigeret: etenim vel à clemente ſupplicia illegibus inferenda, dum cognoſcuntur in pœnitudinem crimina. Nec flectitur prece, qui ingenitâ divite abundat pietate: *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Si horum precibus delinquentibus parceret; interceſsionis fiducia in pravitates pectus inane rediret, neque corde pœniteret: minimèque, qui miſericors parcit, quamvis populum criminis pudet, errore pungitur, ac dolorem exprimit; ut fiat ritè ex ultione correctio, peccato cognito: igitur ſiccine audacia plectenda criminis, quantumvis in veniam adveniant interceſſores.

11 Satis moleſtiarum in regimine venit, quin quærantur cauſæ vindictæ; ut adinſtar diaboli extruantur doli, dum Prælatus cuncta & ubique circuit, quærens quem devoret: igitur importunè, haud prodit zeli pro legibus flammam, ſed pravi pectoris inſitam ſanguinolentiam, internum vulnus, ultionis virus, & ad minùs vacuitatem mentis, in oſtentationem vaniſsimam poteſtatis; quaſi nihil auctoritate poſſet, ni fatuè uſquequaque oſtenderet, & ignorarent ſubditi, quod in ſolam vanitatem ipſe cognoſcit habere.

Tēpora ſævitiæ, claras quibus abſtulit urbi
Illuſtres animas impunè; & vindice nullo.

Nocet, tàm neſcire quædam, quàm ſcire omnia; ut ſimul auctoritas emineat cum diſciplina. Adi Cornel. Tacit. 1. *Hiſtor. cap.* 83. Unde Siracides: *In multis eſto quaſi inſcius; & audi tacens ſimul & quærens.* Tacens, quaſi non audiſſet, atque quærens quaſi neſciens. Hinc Chriſtus Apoſtolis præcepit: *Ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm.* Siccine rectum Præſidum regimen; poſtquàm à Domino vel in dæmones acceperunt poteſtatem. Hæc ſignificata in virga, quæ proficiſcenti neceſſaria; quia ſi Superior deſpicitur, habet virgam poteſtatis, qua innitatur: in viaque tantùm conceditur, etenim auctoritati ludibrium, virga auctoritatis uti, modò non ſit neceſſarium: *In via tantum.* Non ubique, etſi ubique potiatur muneris poteſtate, ne fiat deriſui ex ipſo venerabili munere: igitur ni in via regiminis, virga poteſtatis non decoris, ſed dedecoris. Noſtrates: *Al Superior ſe tiene por ridiculo, ſi no ſe le cae la vara de la mano.* Vanum profectò erit cor: ſciant pro cerebro quoniam homines ſunt. Sicut huiuſmodi uſus futilis, admonitio eſt ſummæ commendationis; quoniam cum crimen diſpliceat, per illam minus inveniet, quod corrigere queat.

Hoc eſt artis opus, non ſpectare gementes.

12 Docuit vel Ethnicus, ut fugiat inviſam malignitatem Princeps Chriſtianus. Thraciæ Rex *Cotys natura cùm eſſet in iram præceps, & acerbus titubantium in miniſterijs vindex* (refert Plutarch. *in Apophthegm. Reg. n.* 11.) *Hoſpes quidam ei aliquando vaſa aſportavit ſiglina fragilia, quæ ſcitè & affabrè cælata, tornataque erat. Hoſpes quidem eſt muneribus proſecutus, ſed Cotys vaſa cuncta quaſſavit: Ne quid, inquit, in eos, quia illa fregerint, conſulam acerbè.* Quod ille timuit, ſub Auguſto accidit: igitur, quia ſervus cryſtallinum fregerat, Vedius Pollio (apud quem Octavianus cœnaverat) duci ad murænas ex abrupto iuſſerat. Cognita lethi cauſa; Cæſar ſocordem incuria, liberum dimitti iuſsit; atque virgula univerſa vaſa cryſtallina fregit; ægre ferens, propter inanem leviſsimam cauſam, vel à ſervo rapi vitam; cùm cryſtallina, quia fragilia, flatu ſplendidè efformata, vel non tractanda, vel uſu frangenda. Plin. 9. *cap.* 23. Senec. 3. *de Ira, cap.* 40. & Solorzan. *Emblem.* 73. Neſcio, an ijs ſimilia, quæ de levibus authenticè à Prælatis dyſcolis excogitantur præcepta; quæ quidem aſtu, coloreque ſpecioſe fingit zelus, duntaxàt ratione lapſus, ut rutilet auctoritas, ut exerceatur poteſtas; potiùſque ut locum habeat putrium viſcerum malignitas, negotietur otioſitas, dum venatur avidiùs captando muſcas. Non hoccine ſplendor eſt poteſtatis, ſed riſus vel rabies ſine effectu correctionis; cùm conciliet ipſius

Cap. 14. v. 7.
Pſal. 77. v. 21.
Diſpoſito corde, pœ̄dus inferatur criminis, et ſi ſint interceſſores.
Vanitas malitiæ, abutentis poteſtate.
Iuvenal ſatyr. 4. v. 151.
Eccl. 32. v. 22.
Marc. 6. v. 8.
Virga ſemper in manu Præſidis, ſignum ſtoliditatis.
Manil. 5. v. 364.
Plutarc.
Præceſſa dis imprudentia, vel malitia; modò erga levia, præcepta gravia.

ipſius poteſtatis honorem, ſubditorum cogitare fragilitatem; & eſſe poſſe extra animum, quod legis notat exceſſum. Unde incumbit Præſidum manſuetudini; ſedulò tollere, quicquid incurià poteſt facilè frangi; igitur removetur impulſus ſæpè dirus meditatæ correptionis; ubi tollitur fragilibus occaſio criminis.

13 Ad quid cum improbo genio, deteſtabili, maligno, poteſtatis obſtentabundo, tumido & timido, cui in lenimen delirantis phantaſiæ, placet timeri? Dicit Thereſia, *Tom.* 1. *epiſt.* 59. de quo alibi, & Salomon: *Non enim dormiunt, niſi malefecerint: & rapitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantaverint.* (Prov. 4. v. 16.) In malignitate quieſcunt; quippe ut ſerpentes cum veneno vivunt: eorumque admititur vita ſummà violentià, ni locum habeat malignitatis infamia; quoniam in ſupplantationes illis commoda pacis, lites & lites, queis evomant ex abuſu poteſtatis conceptum virus, & ſatietur impoſturis famelicum, inſaturabile pectus. (*Quàm pravus, poteſtate malignus!*) Huiuſmodi malignitatis deauratum zelum (de quo N. Patriarcha, *d. cap.* 72.) vocat Paulus: *Diſceptationes cogitationum.* (Rom. 14. v. 1.) Perpropriè: equidem cùm non requirant animo averſo quid corrigant, ſed quid virulentia malignitatis furenter plectant; in diſceptationibus deſignat illorum cogitationem, ut zeli ficti explicet malignitatem: ad cogitationem quidem callidè recurſus eſt, cum non inveniatur in diſceptatione quid. Cogitant, quæ vellent eſſe abſque ulla cogitatione. Illam aſtruunt contra quæ vident: fugatà entitate tabent: & cùm diſceptatio ad cogitationem iam præſtiterit anſam; ubi nulla, cogitaverunt, & locuti ſunt nequitiam. (*Aſtus.*) Non eſt entitas in diſceptationes, & ſtudiosè, aſtu conferuntur lites; in quibus aliquid in vindictam vel apparenter micat; ut cor irrequietum ſæviat: dicunturque in cogitationibus litium, diſceptationes duntaxàt cogitationum; quoniam ad cauſam velociter excutiunt cogitationem, modò viderint in illa nullam ineſſe entitatem.

14 Ulteriùs. Palàm eſt ipſis, vel malignitate opertis, nihil eſſe corrigendum, cito volitum; efformanturque articuli litis, ut ſaltem ſit accuſationis ſpecies; quæ uti vera apud inſcios diſpergatur, & vel fictè famæ aliquid derogetur, exultantibus de inventionibus, technis, embolijs & impoſturis: (*Doli.*) verùm cuncta iuxta proprias cogitationes: id eſt, totum phantaſticum in eminente mole diſceptationum: etenim ex litibus inventa corrigere tentant, ſed quæ in correctionem cogitant. Non eſt exitus malignitatis. Ergo excogitentur lites; in quibus vel iudex causà inauditâ flectetur, vel teſtis prævaricabitur, ut dicat, quæque malignus velit, vel quæ volet: ut non dicat quæ potenti in regimine diſplicent, ſed quæ placuerint. Notat Thereſia, *d. epiſt.* 15. *n.* 5. (Thereſ.) multa & ingentia teſtimonia, ſed falſa; quippe præſens aderat, & nihil horum contigerant. Ubi prudenter Cpmmentator ſubdit: *Vt efformetur cauſa aliena ab actibus; ſat aliquid diſplicentiæ in iudice, aliquid inſtantiæ in Secretario ſcribente, aliquidquid formidinis in atteſtante: ex quibus minutijs conficitur monſtroſa cauſa & horrenda calumnia.* (Palafox. *Vt excitentur lites.*) Verùm malignis (maximè ambitione percitis, captantibus Superiorum gratiam, & innocentiæ ruinam, & nigram famam) vel horribile pulchrum. Panurgià valeat ingenium. Lis oriatur, diſceptatio callidius efformetur: aliquid ſiccine emerget in damnum, ut habeat pœnæ denigrantem maculam; qui in univerſis exactè obſervavit innocentiam.

15 Cauſa huiuſmodi cauſarum ſignatur à Domino, & ſimul animarum perditio: *Væ* (inquit) *Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.* (Ezech. 13. v. 3.) Procedunt in diſceptationibus meditatis uti inſipientes, quia in cauſis & ad cauſas, phantaſticæ duntaxàt cogitationes: quandoquidem cum ad proceſſum non inveniantur actus, exhibentur ad pœnam acta proceſſus. Æquivocum Noſtratibus eſt: *Aunque para el proceſſo no hayan actos, ſe preſentan los actos del proceſſo.* Acta non acta, ſed in cauſam ficta, ſine ulla entitate cauſarum, ſecundum proprium ſpiritum, oſtentantibus pro legibus zelum, ſimulque cogitationum inſipientiam, erga meditatam cauſam: (*Quò malignitatis intuitu?*) igitur non acta, ſed cogitationes diſceptationum, malè affectibus iudicibus exhibent; quippequàm præter cogitationes in litigium nihil vident. Proprius eſt ſpiritus, non zelus, qui ſpiritus diabolicus: equidem pro zelo legis, apparet in deſipientibus zelus furioſus amaritudinis, quem ſequitur à tergo *Væ*, eò quòd livore rumpatur cor, & retineatur malignitatis propoſitum, quantumvis videant duci uti impoſtores in Tartarum. Hæc ita cognoſcentes, iudicant; iudicanda cogitant: & patent inſipientiæ, quia illorum debent cogitationes corripi. Parvi momenti videtur cogitationis iudicium; quod nocuum in diſceptationibus cogitationum. Si nullius entitatis, quomodo nocet? Seneca (ut *num.* 9. præmiſimus) innuit: (Senec.) *Remedia tantùm morbis.* Ubi non morbi, inutilia remedia; ſed malignitati & pretioſa & neceſſaria. Remedia ubi morbi, vulnera ſanant; ubi non morbi, ſanos ac valentes ulcerant.

(*Cur fingitur cauſa, etiam cognita innocentià?*) En ſtudium malignitatis, ex cogitationibus litis: notam innocentiæ inurere, ſplendori derogere, vulnerum ſpecie, dedecore infamiæ; appoſitis medicaminibus, ubi non morbus: igitur neſcientibus diſceptationis embolium, & maligni pectoris aſtum; videbitur in correctionem dignam ineſſe vulnera, dum apponuntur & ſolicitè remedia. *Videtur* (ait Caſsiodor. 1. *Variar. Epiſt.* 30.) *de pulſato triumphaſſe, qui victor pronunciatur à Iudice.* (Caſsiodor.) Nihil pravus haurit ex ſola cogitatione; ſed viam facit ſemitæ iræ ſuæ: & procedit poteſtate attonitus in cogitatam vindictam; quamvis nullius cerebri manifeſtet deſipientiam. Totus in toto dyſcolus, & totus volvox.

16 Diſcrimen videndum horologij & excitabuli (Vernaculè: *Deſpertador*) quippe in illis vividè exprimitur prudentiſsima correctio, & etiam correctio ſine iudicio. (*Dotes prudentis Prælati in correctione.*) Horologium intùs movetur, verùm non videtur motus. Pulſat, & ſecundum tempus: igitur ni pulſus iuxta temporis momentum; horologium irridetur uti inſanum: & iure, quoniam à quo ordo, denotatur ſine ordine. Hinc apud Picinell. 21. *Mund. Symbol. n.* 14. (Picinel.) horologij lemma: *In tempore voces.* Prudentis remiginis eſt, ſine tempore nec vox. Celebrandum uti inſigne tempore & ordine, pondere & opportunè; (*Cur ſimilis horologio?*) quippe in prudenti Præſide nec ulla vox ſine pondere, maximè in errorum correctionem, ubi dant pondera legem. Ubi hora, oſtenditur pulſus, & patet ictus. Quàm aptè ſiccine prudens Prælatus ſignatur ubi ad tempus & horam in correctionem exponitur error. Iuxta menſuram erroris uſus exhibetur poteſtatis. Seſe gerit cum diſcretione temporis vindicem. Si ad unum, pulſat unum; ad duodecim, duodecim. Neceſſarij tantùm reſpondent ictus: dum non eſt tempus, nil amplius: igitur totus ponderis impetus, & poteſtatis impulſus motu prudentiæ, detinetur & hæret in cavo rotæ, motu ſuſpenſo ad ictus, quia ulteriùs non datur tempus: daretur profectò in poteſtate crimini, ulteriùs ſine facultate progredi. *Adſit* (uti ſuccinit Horat. 1. *Satyr.* 3. v. 117.)

Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas; (Horat.)
Nec ſcuticà dignum, horribili ſectere flagello.

17 Aliter ſe gerit, qui inſipiens & malevolus, poteſtate inflatus: in dignitate prætermittens munia horologij, tranſit malitia in uſum & abuſum excitabuli: equidem ad crepitus, & continuos ictus, obſervat tempus.

——— *Truculentior atque*
Plus æquo liber. (Id. v. 51)

Ducitur pondere indignationis, quin ſit obex in furorem phreneſis: (*Quenam poteſtate furentur?*) igitur amarò ſtomacho, ſemel ex comiſſura fune poteſtatis exploſo, pulſat, icit, tinnit, ſonat, perſtrepit, capita tundit, & minimè ceſſant ſine tempore voces; quia ſemper ictus uſque in finem funis: ac in ſævitiam ulteriùs iret, ſi extenſionis plus haberet: expreſſo truculentiæ pravo conamine, & uſque ad ultimum poſſe, ſine pœnitudine erroris; ſiquidem pravitas perſeverat voluntatis, etiam dum deficiunt vires. Quorſùm diritas pectoris & molimen? Sedet in inſidijs, ut interficiat innocentem; (*Quare conferatur horologij excitabulo?*) ſed comprehenditur in conſilijs, quibus cogitat: igitur dum intendit ſine cerebro ictibus in ſævitiam, vecors ſine diſcretionis fune dicit amentiam: ſignum ſanè fanatici deſipientiæ, propter poteſtatis abuſum, poteſtatem ammittere. Dialecto noſtra: *No es cordura el quedarſe ſin cuerda: ſino phrenetica rabia; pues repite el deſpertador los golpes, haſta dar toda la cuerda.* Relegant in regimine ductricem & conſultricem potentiam; furenter debaccantes, quia neſciunt diem neque horam, converſi in exercitium ſubditorum, etenim illorum meditatum exercitium, ictus & cõtinui motus, dumtaxàt diriguntur in ſtrepitus: ſine tempore voces, quorum conatus excitare dormientes. Faciliùs prudens ſibi atque ſubditis Præſes cõſulit, & in commodum ſapit; dirigens in morum correctionem conſilia, *miſcens temporibus tempora:* (S. Bened. d. cap. 2.) igitur cognoſcit & utitur horà: quandoquidem tempus, ut frugi redeat vel devium, averſum cor;

Tempeſtivum tempus eſt. (Auſon. Lud. Sap. n. 215.)

TAU-